

40. 15.  
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

# ERRORIBUS MEDICINÆ PRACTICÆ,

Quam

*In Alma Regia & Electorali Fridericiana,*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**

REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRANDENBURGENSIS HEREDE,

&c. &c.

EX DECRETO GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
SUB PRÆSIDIO

**DN. GEORGII ERNESTI STAHL,**

MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.

h. t. FACULT. DECANI,

*Dn. Patroni & Præceptoris sui, omni*

*observantia cultu prosequendi,*

**PRO LICENTIA**

Summos in ARTE MEDICA Honores, & Privilegia

DOCTORALIA legitime capessendi,

*Ad diem* Februar. Anno M. D. CC IV. Horis ante & pomeridianis

Ventilationi publicæ exponit,

**MICHAEL ALBERTI,**

Norimbergensis.

HALÆ MAGDEB. Literis CHR. HENCKELII Acad. Typogr.

hol. gen.

53,36

Therap. 32

OPUSCULO IN UNO QUAE ADIACENTIA

DE

REPERIBILIS ME

DICTIONE PRACTICE

QUAE

IN ALIIS REBUS ET EMENDATIONIBUS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO

SEPTENTRIONIS PRAESIDENTIS

DR. ERUBERTO WILHELMO

RECTORI UNIVERSITATIS

FRANCOBURGENSIS HABERE

PER

AD HANC PARTEM

SEU PRAESIDIUM

DR. GEORGIUM ERNESTUM

RECTORI UNIVERSITATIS

FRANCOBURGENSIS

DR. ERNESTUM

PRO RECTORI

FRANCOBURGENSIS

RECTORI UNIVERSITATIS

FRANCOBURGENSIS

FRANCOBURGENSIS

FRANCOBURGENSIS



## PROOEMIUM.



Quantæ dignitatis sit

Medicinæ studium, non de existimatione civili, sed de æstimatione rei loquendo, neque præsentiore aliquo, neque evidentiore ac simpliciore argumento demonstrari potest, quam illo, quod sanitatis

atque vitæ humanæ curam gerendam profiteatur; Et hoc quidem agere debeat ejusmodi remediis atque subsidiis, quorum indoles pariter nova, & rationi nostræ nullo indicio obvia sit, sed studio demum & operâ, seorsim conquiri, & judicio & memoria, in usus vitæ atque sanitatis humanæ, dirigi & converti debeat. Jurisprudencia certè ingens fundamentum universi sui ambitus habet, non solum in Jure, ut vocant, Naturæ; sed etiam, ut vulgo dicitur, Æquitate naturali: quarum hæc cuivis homini paulo maturiore atque circumspècto judicio gaudenti, obvia: illa vero, vel mediocriter exercitata rationi agnitu minus difficilis existit. Ipsa Theologia, præter nudæ fidei negotia, externè nihil nisi memoriam respicientia, quicquid ultra agit, Ethico-politi-

cis ( non loquor de systematibus, sed usibus ) fundamentis ferè superstruit: Unde ex agnitione æquitatis, harum quidem rerum ingens subsidium nanciscitur. E contra Medicina nihil nisi pura facta, ut vocant, pro fundamento habet; nempe sola nuda experimenta, quorum rationes, demum per exactam mutuam comparationem, prudenter atque scienter elicere, & continuata diligentissima ulteriore comparatione, mutuos usus partim colligere, partim dirigere atque scopis suis aptare, debet. Sicut autem hæc de Arte ipsa dicta, verè ita sese habent; ita tanto major habenda est æstimatio Doctrinæ, atque administrationis peritæ, ejusdem: siquidem, si utique concessum sit & agnitum, quod ipsa res, ad quam animum intendas, ardua sit, tanto magis ipsam quoque viam qua ad illam contendas, arduam, & quam omni cura atque studio prosequaris, omni jure ducis. Sane vero merito venerari decet, divinam sapientiam, quæ viam ad res arduas, quasi perpetua quadam lege, difficultatibus ac laboribus ita impedivit atque sepsit, ut non solum mollia ac inertia ingenia, ab illis, & temerario illarum abusu, excluderentur; sed & è contra amantia, laboris, vigilantia, atque fortitudinis, pectora, haberent quo potirentur, & quibus præmiis ab otiosa hominum fece distinguerentur. Profecto, quod sine cujusquam injuria, sed sprete etiam invidia, dicimus, non arbitramur, hodie ullam esse doctrinam, quæ majoribus difficultatibus laboret, quam Medicina. Pudet dicere, nisi magis pudendum esset, dissimulatos à nobis nævos, ab aliis posthac nobis objici (& gravius nos inde, tanquam malitiosè celatorum vitiorum nomine, exagitari) quo usq; prolapsa sit Medica Doctrina; in quæ non solum diffidia,  
sed

sed portentosos subinde dissentiendi modos, & opinionum indies augescentes tricas, devoluta fit. Quot, & quàm varias, ipsas hinc inde fabellas redolentes, Metamorphoses subeat atque patiatur. Inter quas turbas cujuslibet iudicio relinquo, quo loco habendam reputet illam hujus generis labem, qua hæc doctrina, quid vero doctrina, opinionum potius pelagus, multiplici titubatione indies, non jam ab aliis, sed à se ipsa diffidet; nihil firmum, nihil constans, nihil unum, (& inde quoque nihil verum, neque bonum) agitans. Quàm miserum autem fit, rerum suarum, & quas imprimis tam arduas esse quam maxime intelligat, cupidè fatagantem artis hujus sectatorem, ita jactari, & neque è perpetuis Scriptorum passim sibi ipsis contradicentium syrtibus emergere posse, neque vestigiis quæ subinde deserui videat, insistere ipsi licere: & quid talis tandem de universo hoc negotio, altioris sollicitudinis, non possit non concipere, neminem recti animi arbitrum ambigere posse pro certo habeo. Absit autem tam malè agi cum rebus humanis, ut omnis spes decollet, quin divina providentia grandi huic malo remedium allatura sit; Certè, si de reliquo canonis veluti dignitatem veteres Philosophi tribuerunt illi observationi, quod, quicquid ad summum sui fastigium pervenit, in illo diutiùs subsistere non possit, quin iterum descendat: propinquam puto spem nos habere, quod, cum impetu quodam ad fastigium sui enisæ sint confusiones Medicæ doctrinæ, (quod non ineptè exprimunt Galli, *la decadence*,) lapsui expositæ sint suo. Ne verò de his ita frustra conqueri, in simulari temerè possumus, placet conspicuos quosdam **ERRORES MEDICINÆ vulgatæ, PRACTICOS** imprimis, si-

ve praxin intricantes, loco Speciminis Inauguralis, evol-  
vere; Non dubito, posse hanc deductionem & Specimi-  
nis loco inservire, & aliquem etiam usum in praxi habe-  
re. Quamlibet enim non absoluta necessitas poscat, ut  
à me Errorum talium emendatio præstetur; imò facile  
ab hoc postulato excusare me possit, quod invidiam illam  
affectare non debeam, quasi ego mihi deberi velim, quod  
magna aliorum caterva, vel non velit audere, vel non  
possit: certe indicatio etiam, & ut spero demonstratio  
talium defectuum, duplicem usum habere poterit non  
contemnendum. Primo enim, poterit subservire ni-  
miæ promptitudini illorum temperandæ, qui non solum  
in universa hodierna Medicina vulgata, nullum defectum  
superesse, occini atque persuaderi sibi temere sinunt;  
sed etiam seorsim Errores tales audacter imitari, officii  
sui ducunt: Secundo, poterit fortasse aliquos etiam exci-  
tare, ut pro supplendis his defectibus, & in viam reducen-  
dis errantibus, vires suas experiantur. Quod quidem ut  
feliciter eveniat, bono omine atque voto non indignum  
est; at ut nostrum etiam cœptum usum, qualem merito  
optamus, adipiscatur, est quod divinam benedictionem  
supplices imploramus.

CAP. I.

IMMANIS ET FUNDAMENTALIS  
ERROR PRACTICUS CIRCA PLE-  
THORAM.

**V**Eteres observandæ experientiæ solertissime invigi-  
lantes, inter causas morborum præcipuo loco col-  
locarunt *Plethoram*, nempe simplicem sanguinis ab-  
*undantiam*. Cum autem, ut alias sæpius, ita hic et-  
iam

iam, justò plus immorarentur evidentioribus solum harum rerum effectibus, & insuper sufficiente notitia veri *motus* sanguinis destituerentur, substiterunt ferè, in edendo numero affectuum, quibus *Plethora* ansam præbere possit, simpliciter in uno aut altero levio- re incommodo, quibus non solum directam, sed potius universam efficaciam plethoræ absolvi arbitrarentur. Unde ferè nihil præter *intemperiem* fortè levio- rem *calidam*, & magis unius regionis in corpore, quam u- niversi simul corporis, huic tribuerunt; *oppletionis* etiam, & *oppletivæ fatigationis*, sensum: tandem sinceriores aliquas *sanguinis eruptiones*, illi, vix tamen soli, assignantes. *Cacochy- miam* Plethoræ succenturiare, & directum quendam ulterius ab ista oriendi successum derivare, ita ambigebant, ut vix vestigia ejus rei sincera apud illos inveniantur. Quid ma- xime æstimando illo invento, circulationis sanguinis, dignum quod sane poterat fieri ac debebat, collegerint atque deduxe- rint propiores, intelligent, qui harum rerum curiosi & periti sunt. Eo usque sane defecit justa in hoc genere subsumptio, è crassis etiam exemplis, ut in hodiernum adhuc diem, non- dum credere, nedum intelligere in animum inducant, quod *progressus sanguinis* per capillamenta *vasorum*, & exiguos *meatus* atque *poros*, sit vera mechanica, & unica quidem causa, fluiditatis ejus perennantis, sine qua ille (longè certè absentibus ipsi decantatis illis activissimis Spiritibus) in maximam spissi- tudinem, imò quo copiosiore lymphæ laudabili instructus est, eo crassiorem seu densiorem concretionem, abeat: ad mi- nimum nullam prærogativam fluiditatis, *vivo* quam *mortuo* corpore, habeat, extra *progressivum* illum *vitalem motum* consti- tutus. De *Caloris* sanguinis, per hunc *progressivum* motum, mechanica fiendi ratione, *qui, quando, & quid* dixerint, pari- ter quærere possunt, qui scire volunt. *Quid sit vita, & quid & quomodo*, illi præstet *motus progressivus* sanguinis, & cum eo reliquorum humorum congressus & commercium, *multum* puto dictum esse, an à *multis*, alii computent. Quid vero omni- bus

bus

bus his præcipuis motus sanguinis negotiis, deroget motus hujus *progressivi* qualiscunque *retardatio* atque *imminutio*, certè illi dicere non poterant, qui *fluiditatem* ejus hoc motu *priorem* esse jubentes, nullum proinde ejus vitium, ab hujus vitio, sapienter arcessere valebant.

Unde quidē tanto minus admittere, nedum attendere & animadvertere licet, è tali præjudicio, quâ nam ratione, etiam *floridi* & hæctenus in universa sua crasi optimi sanguinis *abundantia*, huic ejus *bonitati* aliquid derogare aut vitium afferre valeat; è quo errore profiluit immanis ille contra practicam veritatem Error, quod *Plethora nulla detur*.

Quamvis enim aliqui etiam, cum crassa illa acceptione corporis pro *automatica machina*, quæ nullo judicioso arbitrio regatur; *plethoræ* negationem proportioni machinæ hujus reliquæ adscribere non dubitent: nempe quia tanti artificii atque ordinis, ut loquuntur, stupendi, machinam solus struere compos & juxta suam voluntatem absolutam, inviolabilibus legibus motuum & proportionum instruere dignatus, DEUS, illam ita utique ordinasse censendus sit, ut nihil inutile ac superfluum temere, nempe contra illas leges, admittat: quæ nempe scita est paraphrasis, longe antiquioris illius, & utique paulo magis crassiusculæ cantionis: *Deus & Natura nihil faciunt frustra: subsume, ergo neque sanguinem;*

Major tamen numerus *Plethoram negantium*, longe latiore viâ incedere in animum induxit, Pancratico illo argumento fidens, quod *sanguis sit thesaurus vitæ*; interim vel antiquissimæ religionis canonem pro medio termino in subsidium arripiens, *quod in optimum non cadat nimium*, *Deß guten thonne man nicht zu viel thun*.

Quamvis autem quotidiana experientia huic asserto reclamet, sistens homines de reliquo fati utique *vividos* atque *vegetos*, & maxime *floridos*, visibili tamen illa *affluentia* sanguinis, non solum molestiis, & liberiorum *motuum impedimentis* obnoxios; sed etiam *ardoribus* variis, & tandem *eruptionibus* affectos:



fectos : ne aliquid simplici illi *thesauri* hujus *quantitati* derogari patiantur, malunt *qualitatem* ejus insimulare, & veram, potius bonitatem ejus & optabilem *florem*, mobilitatis, & ita vitæ melioris præsidium, hostilis *acrimoniae*, & seditiosæ *stimulationis*, imo claustrorum perruptionis atque violationis, (nempe per corrosiones) indigne reum agere. Unde errorem errore foecundum nacti, subtilibus remediis, *acrimoniam* illam subtilem subigere, ut putant, aptis: aut è contra, *crassioribus*, illam obtundere debentibus: illic *incitant* eruptiones, quas tandem *adstringentibus* cohibere necesse ducunt, &c. hic, *crasin* citius increassant, &c. ut infra notabitur.

Sicut autem ipso titulo, *Errorem hunc fundamentalem* appellavimus, ita intelligendum utique est, quod ex illo plures alii, tanquam è pessimo *fundamento*, propullulent atque subnascantur; quorum tamen deductioni minutiori, ne nos implicemus, suffecerit nobis illorum etiam *extantiores* tantum evoluisse, & sub hac tractatione reliquorum forte mentionem injecisse.

C A P. II.

D E

ERRORIBUS PRACTICIS  
CIRCA HÆMORRHAGIAS.

**Q**uantumvis rationi simplicissimæ consonum sit, quod materię *movendæ* justa *proportio* esse debeat, tam ad *capacitatem* viarum, & tempus atque numerum, progressuum, quam omnino etiam ad *mensuram* roboris & energiæ *impellentis*; harum omnium autem circumstantiarum *prægravatio*, ut *in genere*, totum motus negotium sensim labefactare; ita *in specie*, humoris movendi, qui à vegetiore motu bonitatem suam præcipuam habet, integritatem subvertere possit: non potuit tamen, imprimis posteriorum Practicorum agmini, consideratio hæc satis persuadere

B

quod

quod, sub plethorico, statu etiam agnito & concesso, evenientes *Hæmorrhagia*, rationi ita à priori consentaneæ duci mereantur, ut *Natura* illas *active* & *consulto*, ut illis sibi consulat, adornare, intelligi possit aut debeat.

Quamlibet etiam ab harum excretionum commodo atque moderato proventu, commodè habere hominem videant, sensus *oneris* seu ponderis expertem; ad *motus* etiam, & post illos, evidenter alacriorem; imo, si paulo *impeditius* fluxus ille erumpat, patientes circa illa loca variis *distensionibus*, *ardoribus*, *doloribus*, quin aliquando etiam *inflammationibus* male affectos, procedente tandem perumpente, hæmorrhagiâ, statim levâri conspiciant: denique, si procedentes illæ eruptiones temere *cohibeantur*, aut diu *reprimantur*, non solum alia, sed graviora prorsus pericula atque damna succedere: non possunt tamen his moveri, quin sublevationes quidem illas *per accidens* tantum subsequi sibi imaginentur: peiores autem illos eventus vel longæ demum seriei remotæ efficaciam assignent, vel plane cum hæmorrhagiâ nullam affinitatem habere interpretentur aut agnoscant.

Quod quidem ut luce meridiana clarius dispalescat, facit historia & connexio *morborum ætatum*; qui *hæmorrhagicis* constitutionibus & *evacuationibus* singularum, non solum in theoria, & praxi in genere, respondent: Sed tanto magis in specie, imo *in individuis*, ex amussim rerum harum ordinem demonstrant: dum videlicet individua, quæ à prægressa aliqua ætate, aut specialissima accidentali externa occasione, *hæmorrhagicos* connisus ad regionem ab illa ætate alienam experiuntur, etiam reliquos morbos, magis illi *hæmorrhagiâ*, ejusque loco, quam locis alias tali reliquæ *ætat* congruos, simul in sese perferunt.

At profecto pertinax ille maxime censendus fuerit *Error*, & *experientiam* hanc, & *convenientiam* rerum, & manifestos *reciprosos successus* & *conspiraciones* illarum, aut in animum admittere recusare; aut si res ipsa non negetur, nempe talium  
maxi-

maxime pathematum *syndrome*; hanc ejus allatam causam, defectus in *colligendo*, aut *concludendo* equidem insimulare, aut convincere non posse: interim tamen interpretationes, rebus historice agnitis nullo modo quadrantes aut satisfaciētes, obstinatè fovere atque propugnare.

Profectò, si dicendum sit quod res est, probabilius longe videtur, quod factum ipsum, *experientiam*, inquam, & observationem non habeant sufficientem, qui hos Errores sustentant, quam ut ad tam *evidentem* rerum illarum talem constitutionem, non satis *intellectus* aut *judicii* habere credi possint. Tanto magis autem circa ipsum negotium *Hæmorrhagarum* magis directè *Error* committitur eximius, quando ita, ut *res absolute præternaturalis*, cohibendæ atque supprimendæ reputantur.

Hoc enim coeptum, quocunque tandem absolute modo fiat, sine peculiari omnino & efficaci prorsus cura, ut sanguis aliter imminuatur atque ventiletur, vel irritum est, vel gravius noxium. *Irritum*, dum *hæmorrhagiæ*, vel *eædem*, vel *aliæ*, & non raro magis *incommoda ac impeditæ*, rebellant: *noxium* etiam, dum *Phtisim*, *Hæcticam*, *Cachexiam*, *Oedemata*, *Hydropem*, gignit: & hæc singula quidem omnem curam imposterum, tanto pertinacius eludentia, quanto impetuosius & immoderatus sive excretio pristina processerat, sive represio instituta fuit.

Errores, inquam, hi sunt *fontici*; & merito Deum precor, ut magis tantum committi possint, quam vulgo soleant! sed quid expedit dissimulare nostra mala, nisi ut tanto magis illis indulgendum videatur, aut plane favendum, quod Deus non permittat.

Error enim verò gravis circa immoderatiores etiam, & merito utique *coercendas*, hæmorrhogias occurrit in praxi: non sane rarus aut fortuitus, sed & frequens, & fere magis ex instituto proficiscens, : quando profusionibus san-

gvinis non solum nude atque directe *adstringentibus* obfistitur, sed etiam & *fortibus*, & *copiosis*, & *continuatis*.

Certe, dubiam sibi mutuo reddunt palmam, dum communiter ad minimum rem inter se dividere jubentur, *adstringentia* & *Opium*, utri ipsorum potissima competat laus, *hæmorrhoidum*, *asciticorum*, *cachecticorum*, *colicorum*, *arthriticorum*, *anxiorum* affectuum; tanquam *importuniorum hæmorrhagiarum* cohibitionibus pertalia artificia, vestigia legentium successuum. Ubi quidem suadendum est Medico, ut quando ipse suis artificiis hæc mala introduxit, ut etiam testimonio illarū utatur pro demonstrando, quod ipsæ etiam prægressæ istæ hæmorrhagiæ, ab *effero sale scorbutico* originem suam duxerint, dum profundius quam ut eradicari possit, Massæ sanguineæ innidulatum, jam denique ultimis, & plane non amplius dissimulandis, veræ suæ, nempe *scorbuticæ* indolis, supremis effectibus sese sistat. Sed veremur ut posteritas his artificiis perpetuo aurem præbitura sit, imo vero Deum precamur, ut meliora evenire sinat.

Profecto enim immanes hi sunt, & à vera arte salutari quolibet omine atque voto exterminandi, *Erroris*.

Fomes autem præcipuus *Erroris* circa temerariam *repressionem* certo graviter nocituram, hæmorrhagiarum, gliscit, ubi suscipitur adversus *assuefactas* in specie; si adversus *statis* præter hæc omnia, specialissime suscipiatur, non excusandus.

Sicut etiam Error Practicus est, ἐκ τῆς δυσανεστῆς τῆς ἀπειρίας, κακῆ ὑπάρξεως καὶ ὄντα, profluens, vel nescire immensum quantam disparem *pertinaciam*, & promptitudinem *peffimarum consequentiarum*, unius talis Hæmorrhagiæ præ altera: vel illam in methodo medicationis non magnopere attendendam & respiciendam ducere. Unde quidem *hæmorrhoidario seni*, per longos annos, cum omni reliqua generali sua euphoria, huic negotio, & *statis plane periodis* distincto, penitus *assuefacto*; *adolescuntulo* etiam, à pluribus annis, frequenti & profusæ *Narium Hemorrhagiæ* assueto: *evacuatio-*

cuationes has inconsiderate cohibere aut supprimere, nihil aliud est, quam illum in *Hydropem, Catarrhum suffocativum, Apoplexiam, Paralyfin*: hunc in *Hædicam* aut *Phtbisin*, obtorto collo deturbare: prius utrinque, imprimis per *adstringentia*; postorius utrinque magis per *Opiata*.

Error etiam est in Praxi profecto non exiguus, & quamvis etiam late per alias species medicationum sese diffundens, in *sanguinis* tamen suppressionibus, & præsertim hujus modo *consuetudinibus* reprimendis, non minus familiaris, quam promptissimi successus; quando Medicus *irritam intentionem* format, fluxus non quidem *supprimendi*, sed solum *moderandi*, sed tamen per *supprimentia*; excretionem non *stimulandi*, sed saltem *provocandi*, sed tamen per *stimulantia*. Et profecto ridiculum est, modo casus semper hilarem frontem ferrent, post *hypercatharsin*, jam *emeticam*, jam *catharticam*, provocantem audire practicum ad *formulam* præscriptam, & testimonium pharmacopolæ, quod solum *refracta dosis* Tartari Emetici, Scammonii, Resinæ Jalappæ &c. oblata sit: quod remedia *Martialia* mitissima, & juxta *classicum* honoris titulum, non *adstringentia*, sed *aperientia*, usurpata sint: Quod illic inexpectata Syndrome *Salium scorbuticorum*, hic nescio quid *ponticum* ex accidenti superveniens, in culpa fuisse censendum sit &c. Utique quidem, postquam & *consuetudinum*, etiam plane *statarum*; & *sensibilitatis*, & *motuum* jam sponte *eruptionem* parturientium, observatio & consideratio, (tanquam circumstantiarum utique & plurium, & melius atque vigilantius practici judicium postulatum) solers atque prudens pensatio, cum immensum quantum faciliore, & proinde hodie nullas non tonstrinas & coquinas personante, *Sale fatuo*, permutatæ sunt, non poterant inde aliæ collectiones elici, quam tales, nempe quod a-junt, *dignum patella operculum*.

Non vero obliviscendum est *cautele* illius, ut quidem non ausim in hac parte à constanti opinione D. D. Præsidi-

dis discedere, certissime primo ab anicula inventæ, auctius vero & correctius hodie, veritatem testor, à multis Practicis communibus, commendatæ; non jam amplius *senibus*, quibus fere priores illæ ipsam paulo plausibilis commendant, sed etiam *junioribus* accommodatæ, ab illis maxime, qui sanguinem *thesaurum vite* esse *ἰνθροσούστω*, inculcata, vernacula formula: (nondum enim audivi alienigenas in idem ineptire) Sie solten sich das Blut lieber in den Leib kauffen/ als etwas davon fahren lassen. Quod quidem, dum illis, qui per longius tempus, & plures annos, V. Sni *tempeſtiva*, & plus minus *ſtate*, affuefacti, sub illa de reliquo vel prorsus commode, vel sub cætera vacillante valetudine, *tolerabiliter* habuerunt; imo etiam citra quodcunque solamen, huic rei tamen vere *adsueverunt*: talibus inquam, dum hoc ita inculcatur atque perſvadetur, non consilium medicum, sed *Error* est, ferius ocyus damnosus.

Quid, quod maximo etiam jure Erroribus accensendum ducamus, si quis *fortuito* casu, etiam *violenter*, insigniorem aliquam hæmorrhagiam seu *profusionem* sanguinis expertus, *anniversario* tempore ejus rei nullam amplius rationem habere debere credatur: Imprimis, si simul tempore talis violationis, & florida *etate* & *ſanitate*, & *Plethora* insuper notabili, conspicuus fuerit. *Anniversaria* enim inde observari incommoda, quæ nulla re promptius præoccupari possint, quam tempeſtiva aliqua *ventilatione* sanguinis, aut discussione *hæmorrhagias* parturientium congestionum & moliminum, circumſpecta experientiæ animadverſio palam facit.

*Muliebres* hæmorrhagias, tam *Mensium*, quam *Lochiorum*, certe longe facilius est quoquo modo sistere, (imprimis vero *ſupprimere*) quam *ſuppreſſas* quoquo modo *revocare*. Error autem ut familiaris, ita efficacissimus ad nocendum, est, *revocationem* talem temere tentare per *calidiora emmenagoga*, *pellentia*. Ut enim, si *Mensibus* adhibeantur, æque atque *Lochiis*, concurrente patientis habitu *sanguineo*, & statu *plethorico*, u-

trin-

trinque *pertinacior* suppressio vix non communiter subsequitur; ita in prioribus *oedemata, respirationis & pectoris vitia*; aut si *choleric-Melancholica* sint, *arthritodea* pathemata, familiariter inde pullulant: in posterioribus, *puerperis*, vix non praesentissime *Febris acuta*, alicubi familiariter *Purpura miliaris* comitata.

Solet etiam inter Errores vulgo reputari, si mulier graves *virium jacturas*, imprimis autem sanguinis ipsius depauperationem insignem, passa est, ab illa, si proximis periodis, *Mensium* proventus emanat, illos exigere. Interim cavendum omnino est, ne in hoc etiam negotio, unus e duobus Erroribus admittatur & foveatur, non exiguis. *Primo* scilicet, si sanguinis jactura circa *superiorem* regionem corporis facta sit, ne ibi nimis *diuturnae* mensium cessationi secure indulgeatur; dum ipsa directio sanguinis ad debita loca, facillime ita pervertitur; imprimis si illa immoderatio excretio circa *superiora*, ipso tempore *consueti fluxus* evenit: (conferatur *Forestus Lib. xxix. Observ. 3.*) Quo magis autem *cessatio* Mensium *obfirmatur*, eo difficillius deinde in viam reducuntur. *Secundo*, ne in hoc, aut aliis fluxibus aut educationibus sanguinis solennibus & *assuefactis*, putetur nullum alium respectum habendum esse, quam ad nudam sanguinis *quantitatem*; cum in dicta ejusmodi constitutione, nimio plus considerari debeat *motus sanguinis* *assuefactio*, quam *nuda quantitatis aestimatio*, ne dum otiosus illae nudae quantitatis seu molis *impulsus*, qui in ejusmodi casibus, imo *absolute*, extra omnem effatu dignam efficaciam, positus est.

Hic maxime Error parit alterum, plurimum quam ita vulgo creditur, malorum successuum feracem; dum videlicet hominibus, qui vel notorie *sine aliqua urgente causa* Scarificationibus, aut *V. S. largioribus* aut *crebrioribus*, temere sese addixerunt, imposterum eadem temeritate illis *renunciandum* esse, persuadetur. Quod idem fundamentum est, communiter manifestorum malorum successuum in *senescentibus* à longo tempore sanguinis evacuationi *assuefactis*. Qui omnes,

mnes,

mnes, repetitam illam, juxta consuetum modulum, evacuationem, promptissime ferunt; cessationem ejus ausim asseverare *nunquam prorsus*, sine certis, serius ocys subsequentibus gravibus incommodis quin periculis.

CAP. III.

DE

ERRORIBUS CIRCA SANGVINIS MISSIONEM.

**Q**uantis tenebris Theoriam Medicam ab antiquissimis inde temporibus involverit, intempestiva illa, consideratio corporis secundum nudam suam *materiam*; non animadverso aut intellecto, vero & summo effectu & absolute prima atque primaria potestate *Motus*, brevibus verbis dici minime potest. Suboluerat quidem, *vitam consistere in motu*; sed cum nemo verum atque solidum aliquem, conceptum obtinere laboraret, *quidnam proprie sit vita?* tanto minus animum subire poterat cogitatio, quidnam etiam, sit illud, quod laudatus *ille Motus* vitæ conferat, aut *quomodo, & secundum quid* vita in motu consistere, dici aut intelligi possit.

Sanè vero, cum verus ille usus & actus, quo *Vitam* præstat & absolvit *Motus*, sit absolute & exquisitè *mechanicus; formali*, ut loquuntur, concursu, materiam non tam totam alterans, quam varie dividens & subagitans: expectanda fuisset harum rerum vera & solida explicatio à *recentiorum* choro, qui in omnibus rebus, nihil nisi *mechanismum* demonstrare præ sese ferunt, sed cum ipsi etiam sub *mechanismo, Motuum*, imprimis autem rationis illorum reddendæ, ita obliviscantur, ut in solis *figuris* materialium corpusculorum, totum illud, quod Mechanismum vocant, quærant; frustra sane hæc sperari contigit: aut oportet nos ad minimum



nimum nervi demonstrationum illarum ignaros fateri, quod lubentes facimus.

Sicut autem alia multa, variis modis & respectibus erronea, ex imaginationibus illis *πολυμύθοις*, de conditionibus *materialibus*, imprimis *humorum* corporis, propullularunt, auribus, nedum animo molesta; ita certe inter eximia horum generum commenta, primum locum cuivis alteri dubium reddere potest, licet rarius audita, prolata tamen fabula, quod *sanguis primigenius, numero idem, per totam vitam homini durare soleat atque debeat*; nempe tanquam verus talis *thesaurus vita*, qui etiam *patrimonii* instar à parentibus ad liberos transferit. Quo nempe intuitu quamlibet ejus *jaeturam* non aliter capitalem vitæ esse interpretantur, quam si sorti seu fundo argentario aliquid detrahatur, wenn man das Capital angreiffet.

En fundamentum, cui inædificant aversionem suam, & anxias protestationes contra sanguinis missiones. Condonandum illis, quod sane vitæ hominum timeant, & contra illud, quod huic detrimentum afferre sibi persvaserunt, ita anxie reclamant; laudabile ad minimum est propositum, & neminem puto dubitaturum, quin sincere hoc agant, cum citra tam seriam intentionem impossibile esset, ut gratis ejusmodi affaniis, ignorantiam suam, vel publice, profiterentur.

Neque vero hi sunt soli, qui tam crasso modo, Errorem illum certe crassum, practicum committunt, ut absolute *omnem sanguinis ventilationem artificialem* damnent; sed sunt etiam, qui speciosioribus rationibus hoc stabilire aggrediuntur. *Primo* enim abominantur, quod cum sanguine ita sincere educto, statim unus & alter manipulus *spirituum* una in auras abigatur. Sed profecto nescias, quid de nisu illo, secundum divinam voluntatem agendi, usquam sperandum sit, si ille, nempe in illis *spiritibus*, hic ita otiosus est, ut illos etiam per quascunque ambages non in corpus  

C

potius

potius iterum impellat, quam in aërem. Quid enim quaeso alibi sperandum est, de *magnetismis, Symbolismis, sympathiis, actionibus in distans*, qui undique ab illo *commeatu perpetuo spirituum* deducuntur, si hi omnium illarum machinarum impulsores & omnibus superlativis activi, statim *in primo limine* stupent, atque rigent: nisi quidem frigent, quod etiam nobis videtur.

Porro, provocant ad tolerantiam Plethoræ, innumeris exemplis, etiam in multos annos durantem; alii crassius ad exempla tot mille hominum, sine omni sanguinis missione, tota vita sua non incommodius viventium, quam illi, qui missionibus illis sese addixerunt. Interim difficile est nervur i hujus argumenti assequi. Enimvero si inferre debeat, quod etiam facere videtur, quod non *omnibus* hominibus, ante omnia vero fatis evidenter *sanis*, sanguis *necessario* detrahendus sit, nemo puto facile intellexerit, cui usui ita philosophentur; cum nondum auditum sit, quod quisquam prudens Medicus, hominibus *omnibus & singulis*, imprimis autem qui nulla *urgentis*, nempe ad *commotiones evidentiores prolapsæ Plethoræ*, indicibus laborent; aut non penitus jam ab ipsa Natura, non sine incommodis vel sentiendis, vel prævidendis, jam *sæpius* affectato & usurpato tali subsidio, *Sanguinis missiones* suadeat. Quod vero *Plethorici*, multas operationes non multo *minus*, aut multo *incommodius* perpetrare possint, & præsentioribus *periculis* ægrotandi non expositi observentur, quam alius *vere sanus*; contra *experientiam* vel ultimæ plebi notissimam, impingit.

Majoris laboris & lectionis curiosi, provocant ad Medicos, modo non immensæ gentis, *Chinensium*; qui sine *sanguinis missionibus* totam suam praxin exercent, & morbos *commode & efficaciter*, curent. Non opus est magna eruditione, ut quis sciat, hæc ita narrari; sed ad minimum opus est qualicumque *prudencia*, ut non temere credas, quod artificia illorum ita prompta sint, & tanta tam *certitudo* quam *commoditas*

*moditas, curationum.* Deficit etiam adhuc paulo locupletior, & imprimis fide dignus catalogus morborum, quibus istæ gentes familiarius infestari soleant: & vix est dubium, quin apud illos tanto magis regnent affectus à *conclusa Plethora* pullulantes. At quicquid horum sit, certe frustra allegabunt *peritiam Sinensium*, nisi ipsimet eandem æque calleant, & nisi quidem à *charitate*, non *Christiana*, sed *humana*, alienissimi videri velint, in publicum generis humani commodum, etiam alios docuerint. Sed quid possint monstrat quotidiana praxis. Licet varia fenserit atque subolfece-  
*rit Helmontius, circa defectus Scholarum Humoristarum*, non reprobanda parenæsi; certe tamen pessime meritus esset de humanitate, si nævos istos tam *divinis remediis* supplere potuisset, & tamen non fecisset. Quis vero illum sine commiseratione, vidisset, eo tempore, quo, ut disertis verbis loquitur, *arcanorum Paracelsi jam conscius* erat, non solum in proprio suo corpore, à *veneno* (qualibus tamen *arcana*, ut omnibus *spirituum* morbis *negligis* debentur) gravissime & diutissime torqueri; *Uxorem* ejus, etiam à *Spirituali morbo, mæroris*, per aliquot *Menses*, & *lacerto dolentem*, & *manus tollende impotem*, & *utroque crure*, à pede usque ad inguina, atroci *œdemate* languentem: & *ancillam*, ab *Erysipelate* (quod forte *farina Secalina* melius quam quodlibet arcanum curasset), male curato, *crus plumbeum & tumidum*, à genu usque in digitos pedum ostendentem, & ita misere affectam, ut vix integræ diei spatio ducentos passus ambulare posset: quis, inquam, sine commiseratione videre possit tale Nosocomium, unde *Philosophus per Ignem*, non solum neminem, imo neque *costam* suam, sed neque *reliquum suum corpus*, per omnia *arcana paracelsi* extrahere posset. Licuerit totam hanc causam brevissimis verbis perorare: *Præctici, cum peritia feliciores, uno ore contrarium docent.*

Sane vero Error, inquam, est, *materia* atque dispositioni, in *proxima* ad nocendum *potentia* constitutæ, *remedium*

applicare nolle, quod non solum per *experientiam*, sed etiam per *rationem* illi recte satisfaciat. Tanto immanior autem est Error, *hoc* quidem facere non velle, & *aliud* tamen, intelligo vero *efficax* & *utile* (nam de *meliori* ne quidem contendam) præstare non posse.

Error autem utique non minor est, & credimus quod casus etiam aliquando detur, si subsidium hoc, utilissimo utique usui atque effectui par, *sine discrimine*, imo sine omni indicatione, suadeatur, aut *temere* usurpetur. Interim propter stolidum prorsus abusum, usui etiam derogare velle, contra bonam rationem est.

Error autem non exiguus ille etiam est, si *efficacia* missionum sanguinis, irrito conatu expectetur in ejusmodi affectibus, ubi sanguis simpliciter, *quantitate* sua nihil peccet; sed jam vel *qualitate* magis, vel ultra simplicem qualitatem, etiam *viis* & *meatibus* jam inducto aliquo vitio. Ubi certe intelligi potest, quantum realibus conceptibus, obstare possit commentum *opinionum* in re non fundatarum, si solum intelligatur, quod *quantitatis* sanguinis insigniores excessus, procedere soleant, recto gressu ad *crasi* ejus inducenda vitia, & *viis* etiam *stasi* inferendam labem.

Inde enim demum innotescere potest, quod omnis V. Sio, quæ aliter, quam *preservativa* intentione, & proinde etiam huic conveniente *tempore* atque *modo*, suscipitur, ad ullam *directam* efficaciam profutura esse, non nisi per Errorem sperari possit.

Abfit autem, ut plus, quam verbo solum designare suscipiamus Errorem illum, qui promiscuis V. Sibus perpetratur *in Febris* varii generis. Cum enim magis magisque evidens fiat error communis Medicinæ, circa *indolem Febrium*; mirum non est, si etiam circa tractationem illarum Errores committendi agnoscantur, quamdiu sibi placet. Sicut quidem hic, quem indigitamus, Error, non poterat non pullulare ex immani illo Errore, quo *commotio febrilis*  
Maffæ

Massæ sanguineæ, directe pro Febre seu *Morbo*, aut certe *primario pathemate*, ab *activa efficacia morbi* pendente, diffamatur.

Attigimus jam superius Errorem illum, qui committi solet in taxandis & abrogandis Evacuationibus sanguinis, quantumlibet ad *consuetudinem* aliquam jam deductis. Ubi Error profecto est non exiguus, credere, quod tales res variæ, si vel maxime nullum *usum* præstent, quando suscipiuntur seu continuantur, propterea etiam nullum *damnum* inferant, si impostero temere iterum negligantur.

Sanguinem fœminæ *pregnanti* detrahere, vetuit *Hippocrates*; Erubescunt, præter paucos forte qui non æque possunt, posteriores, illum erroris accusare, unde ut honori ejus consulant, putant *climatum differentie* illud imputandum esse, quod *Græcæ* quidem fœminæ non toleraverint, nostrates tolerant. Non definire in me recipiam an errent. Illud vero satis pro certo habeo, quod etiam in *quolibet climate*, *citra sufficientem indicationem*, non tuta futura sit *V. Sioævi Hippocratici*, nempe non ad *duas vel tres unicas*, sed non ita paulo plures.

Merito vero, sed paulo circumspectius tamen, Errorem in negotio *V. Snis.* nominandum puto, quod forte quibuslibet & sanguinis & corporis mensuris, vulgari praxeos consuetudine, unum eundemque modulum quantitatis emittendæ, accommodare non dubitemus, & tamen ubique parem effectum expectare. Cum enim consueta illa moderatio mensura, *trium vel quatuor Unciarum*, vix nisi *moderatis* incommodis, aut certe satis *sensibilibus* naturis, imprimis autem rebus adhuc *tranquillis*, satis commode subveniat; quid in dispari constitutione hinc promittere sibi deceat, ratio facile collegerit.

Circa *V Snes* quascunque ad *presentaneam* aliquam utilitatem destinatas, imprimis autem *Hæmorrhagias* compescendas, peritia opus est & prudentia, ne Error committatur.

Interim, imprimis in casu illo *hemorrhagiarum* urgentium, illas etiam absolute formidare aut damnare, omnino Error est.

Inter errores è communi praxi medica merito eliminandos, connumeramus maximo jure neglectum usus & efficaciam *Hirudinum*. Cum autem illas peculiari dissertatione jam alias laudaverit D. D. PRÆSES, prolixiorem de illis esse non placet. Unde id unum tantum hic dico, quod Error etiam sit, promptum aliquod incommodum nedum damnum ab illis expectare, nisi circa Enchiresin illas applicandi, seu potius auferendi, crassior aliquis Error committatur.

Errorem jam vocavit atque taxavit practitorum peritiorum antiquiorum non parvus numerus, si in Plethora foecundiore, jam ad partem certam factâ congestione, immediate circa ipsam *levior* aliqua ventilatio instituat, invitans magis successum impet, quâ *exonerans*. Casus ipse specialis, est infectione *sublingualium*, in vehementi *repentina* angina. Neque certè est, quod illorum admonitionem elevemus; testante experientia, quod vel major impetus ingruat, si ab exiliore incisione, aut sanguinis simul crassitie, exitus sit nimio parcior; aut sub patentiore sectione, & sanguine floridior, fluxus deinde vix compefci possit.

#### CAP. IV.

### ERRORES CIRCA SANGVINIS COHIBITIONEM.

**N**otavit jam à longo tempore Medicorum cohors, quod insignibus sanguinis profusionibus succedere soleat *Cachexia*, imo potius *Hydropica* constitutio, aut *tabida* consumptio.

Non injuria vero mirari liceat, quod hoc loco non annota-

nota-

notaverint insignem illam circa hanc rem differentiam, nempe, quod equidem *Hæmorrhagiis* ab ejusmodi *interna* eruptione coortis, hæc ita satis sæpè evenire observentur; minime vero par observatio suppetat, circa *Hæmorrhagias* non minus *largas*, per *vulnerationem* productas.

Imò, liceat mihi adhuc, apprime notandum, adjicere, quod *Medici* quidem hanc observationem, nempe sub *sua consultatione & curatione* sibi oblatam, memorent; interim immensum major numerus ejusmodi casuum in *quotidiana* conversatione sese offerat, ubi *immanes profusiones sanguinis*, sine *medicorum* aut *vulgarium medicamentorum* concursu, nihil quicquam horum post sese trahant.

Error profecto insignis & maximi momenti, potest æque atque solet committi, in *abusu* medicamentorum *adstringentium*. Sanè verò dolendum est, quod experientiæ veterum nulla alia solennis methodus innotuerit, varias sanguinis profusiones refrænandi, quam per *nuda adstringentia*. Poterant profecto recentiores, ex inventa circulatione sanguinis melius agnoscere, quod à magna & repentina profusione hujus, *via & viscera* facile *conniveant*; imo, si tonum illorum vel è crassis exemplis agnoscere, vel jam à tribus lustris, etiam ad talium, qui hodieque nondum rectè assequuntur, nauseam, inculcatum, spectare voluissent, subducto ita temere sanguine, meatus alias sufferciente, *constrictæ* arctentur: tanto magis rationaliter poterant cogitare, quod *stimuli ad constrictionem* adhuc majorem, tanto plus incommodorum post sese trahere possent. Sed maluerunt, antiquissimam quidem nœniam recantare, quod amissis cum copioso sanguine *spiritibus*, vividus calor ad generationem novi balsamici sanguinis deficiat; partes verò, imprimis *extrema* seu *superficiales*, deficiente pariter *spirituum* præsidio, sive ut loquuntur elatere, *torpeant* atque flaccescant: unde quidem generetur sanguis *vappidus*, & *aqueus* magis, quam *sulphureus*,  
balsa-

*balsamicus, spirituosus &c.* qui in has *spiritibus* orbas partes ir-  
rumpens, *tumores* istos producat.

*Tabem* vero, in dispari corporis habitu, vehementibus  
sanguinis profusionibus, non minus frequenter succedere  
solitam, *Hecticam* inquam tabem, nondum memini quomo-  
do explicent; fortè propterea, quia non memini quod illam,  
è tali, inquam, causa prognatam, magnopere attendere atque  
observare laboraverint.

Interim res est certissima, & provoco confidenter ad  
observationes in praxi quotidiana reperendas, quod *hydro-*  
*pico-oedematosa* hujusmodi noxæ, ut alios *adstringentium im-*  
*moderatiores abusus*, ita imprimis etiam tempore *Hæmorrhagia-*  
*rum* commissos, familiariter sequantur.

Error autem est, non quidem nudæ *Empiriæ*, sed certè  
*Theoriæ* jugiter cum *Empiriæ* deficienti, adscribendus, mulie-  
ribus post *primos* demum *menses abortum* patientibus, & ante-  
quam illum excludant, effreni hæmorrhagia affectis, hanc per  
*adstringentia* cohibere. Vel enim nihil agitur; imo à mode-  
ratione dosi increbescit profusio: vel cohibito fluxu, & simul  
elisione conceptus, sub ejusmodi jam tentatis extremis cona-  
tibus minime amplius retinendi, sufflaminatâ, nihil aliud a-  
gitur, quam ut foemina quidem *virium prostrationi, lipothy-*  
*miis, suffocationibus*, exponatur: elisio interim, etiam cum *ma-*  
*jore hæmorrhagiæ* impetu, certo revertatur: aut plane *febrilis*  
*inflammatoria* commotio, cum concursantibus heteroclitis ta-  
libus expulsois conatibus, exardescat, & inter *febrem* etiam  
& *fluxum*, fluctuantia *adstringendi* consilia, patientem in *hecti-*  
*cam*, aut *oedemata* præcipitem agant. Error, inquam, hic est  
magni momenti; quomodo vero ab illo se expediant, viderint  
quorum interest.

Quomodo verò ab *intempestivis* adstrictionibus in hoc  
malo, *Hæmorrhagiis* inquam *abortivis*, familiariter succedere  
soleat *genesis Sarcomatum, & fungosorum* aut ad minimum *mem-*  
*branosorum* concrementorum in matrice; quibus interdum  
lon-



longissimi irregulares, & profusi, sanguinis *fluxus uterini*, per plures anni quadrantes durabiles, vestigia premunt: interdum, & in constitutionibus floridioribus & vegetioribus, facta nova conceptione, circa simile tempus, quo prior eruperat, hæc etiam conceptio iterum elidatur, & communiter cum profusione sanguinis, pristina majore: imo talis & conceptio & elisio, *quatuor, quinque, sex*, vicibus, statis planè temporibus pristinæ periodo respondentibus, repeti consueverit; fatifcente interim magis magisque universa fœminæ *sanitate, viribus*, imo tandem *concupiendi habilitate*: facile vero succedente alibi *Hæctica*, alibi *Hydrope*; omnia hæc, inquam, quomodo revera ita fiant, neque rara ejus rei sint exempla, poterunt facile observare, quibus cordi fuerit animum advertere.

Ita etiam in genere, fluxuum muliebrium quacunque, de causa vel occasione excedentium, *cohibitiones per nuda adstringentia*, nihil aliud, nisi plures succedentes Errores post sese trahunt, tam circa *periodum* & quasi rythmum excretionum: quam circa vitia *hypocondriaca*, aut *pectoralia*, variis ulterioribus erroribus post hac ansam præbentia.

CAP. V.

ERRORS CIRCA CACOCHEMIA.

Quisquis attentiore cum pensitatione penitus inspicere suscipit tam antiquam quam juniorem Medicam doctrinam, si modo legitima principia intelligendi atque cognoscendi adhibeat, facile deprehendet, quod universa illa difficultas, quæ *Pathologiam* perplexam reddit, fundetur, in aliena illa consideratione, magis nudæ & in se spectatæ corporis *materiæ*; quam *Motuum à directa materiæ illius constitutione*, ita diverforum, ut revera *essentialem crasi*

D

mate-

*materia* ejus *opponantur*; nempe dum *materia* illa, universa sua interna constitutione, ad *corruptionem* veluti aptata atque destinata est, *resistunt* motus illi, *materiae* huic prorsus extranei, ne dispositio illa in actum deducatur, sed potius directam illam *materiae corruptibilitas*, efficaciter oppugnetur atque sufflaminetur.

Dum itaque in *materia* velut defixa hæret consideratio Scholarum Medicarum, non poterat certe alia, quam parum utilis explicatio & collectio hinc resultare; quod quidem apud veteres, adhuc intra cancellos aliquos & certos limites substitit; dum *Cacochymiam* suam, tolerabili adhuc numero effectuum circumscribere non dubitant; at recentiores infelici illa phantasia *innumerarum potentiarum atque potestatum figuræ*, & huic favere putatæ *myriadi saporum* Hippocraticorum insistentes, etiam ad suos, uti vocant, *modos materiae*, ita multiplicandos prolapsi sint, ut jam in qualibet speciali parte obortis pathematibus, de reliquo genericis, & communibus, certam talem *materialem*, nempe *figuralem* formam imputando, vix jam finem aut terminum prospectare possint, sed soli tandem experientiæ inniti cogantur, ut *specificis* illis *acidis*, ex illis quæ vulgo prodesse creduntur, aliquid reperiant, quod *absorbendo*, aut *acumina figuræ obtundendo* agere, interpretari possint.

Error certè subest, circa allegationem istius effati Hippocratis; dum ille minime temere *nudos* illos sapes, & *potentias* salinas innumeras, corpori molestiam aut damnum inferre asserit, aut supponit; sed illa solum, quæ ex hujusmodi rebus *summam* ac velut *immensam*, ut ita loqui liceat, *aciem* aut *asperitatem* assequi vel possint, vel tanto magis soleant. Quæ circumstantia cum non temere de quibuslibet rebus concipi aut asseri possit, facilè apparet, quam *sterilis* sit illa hujus asserti acceptio, quasi è singulis tanto numero fortè concipiendis *craseos*, aut *figuræ* rerum, alterationibus, expectari ac timeri posset aut deberet talis sui gradus *summa*  
*exal-*

*exaltatio*, à qua corpori humano damnum aliquod inferri valeret: ut dum de *amarissimo, acerbissimo, austerrimo* &c. & juxta nostros recentiores, de *acidissimo, acerrimo, acutissimo* &c. supponitur, quod sensibilem aliquam impressionem in teneriores partes corporis nostri facere possint: propterea etiam insignes tales impressiones à *dulcissimo, lubricissimo, fluidissimo, insipidissimo* &c. & innumeris aliis, expectari possint aut debeant.

Sed absit ut huic profundo cymbam nostram committamus. Sufficit notare, quod, circa allegationem *Cacochymiae* subinde ille Error committi soleat, ut quando in genere *Cacochymiam*, veterum appellatione, aut cum addito, *Scorbaticam* *Cacochymiam*, in Praxi accusari audias proprio sensu intelligas idem significare, quam: *Medicum non diserte definire posse quid, & quomodo proprie, egrum male habeat.*

Placet revera ætymologia vocabuli *Scorbuti*, quam supeditat *πολυμαθέςατος Ludolfus*, quod nimirum ortum suum trahere appareat, à *Sclavonico* idiomate, quod *Scorb* pronunciando, rem designat, quam Latini *Morbum* vocant. Et cum inferiores Germani, *specialem*, variis pathematibus concurrentibus, in inferiore tamen ventre quasi radicem figentem, affectum, *Scorb-bund*, nempe *morbum ventris*, nominarent: *latinizantes* etiam hoc vocabulum, & imprimis partem ejus *specialem*, corrumpendo, inscii propemodum veritatem rectissime loquantur, dum vocabulo *Scorbuti*, nihil proprie aliud pronunciant, quam illum pro quo consilium petitur, *egrum esse*, quasi diceres, *der Patient sey krank*.

Insolentior autem Error est, ab illis *Cacochymis* arcescere vitia illa *Motuum*, quæ accusant, tanquam directe *Physice-passiva* *Cacochymiae* illius producta; Error etiam est, jam latius sese pandens, quando hujusmodi *Cacochymiam*, immediate *corrigere* in animum inducunt, adeoque huic fini tam operose tot & tam varia remedia, specialiter aptare laborant: quibus nempe materiæ illius, efficaciam ejusmodi motus physice inducendi, infringere putant.

Dum interim, si res vel mediocriter recte examinetur & æstimetur, directus Error sit, non agnoscere & intelligere, quod non solum longe plurimi talium *motuum*, potius directe *activè*, materiæ illi *ejiciendæ*, adeoque effectui illius proccupando, dicati sint; & insuper proprie ad illum *scopum* destinati, ut, quam brevissimo potius tempore, vel è toto corpore eliminentur, vel non in uno eodemque loco tollerentur, adeoque in perpetuo veluti transitu illud perpetrare non valeant, quod concessa longiore mora, agitatione particularum uni loco immanente, perpetrare poterant.

Irrupit hinc in Medicinam practicam multiplex ille Error, ut non solum neglecta, sed ut modo dictum, pro ipsius *morbi effectu* habita, *secretoria* & *excretoria* commotione, & tanto magis ejus *opportunitate*, tempus inutilibus *intentionibus*, & imaginariis *inventionibus*, materiam ipsam potius directe *alterandi*, teratur.

Ubi quidem Error est, & falsus prætextus, dum vulgo hominum persuadetur, quasi totum harum rerum discrimen nude consistat *in diversa harum rerum interpretatione*, dum interim in *remediis adhibendis communis adsit consensus*. Nempe volunt videri, quasi tam veteres quam recentiores, & hi etiam inter se mutuo, *iisdem medicamentis*, & *eadem methodo*, uti perseverent; sed *verbis tantum aliter explicent, modum*, quo tandem effectus, qui observantur, contingere arbitrentur. Qua quidem falsa traditione atque narratione, invidiam facere laborant, qui illam venditant, illis, qui Errores hos non solum indicant, sed etiam eo maxime nomine, quod *noceant*, illos arguunt. Errorem vero in hac acceptance & *falsitatem* in assertionem, subesse, manifestum reddit *frequentia*, imo hinc inde *sola* æstimatio atque commendatio, *novorum* & *inufitatorum* remediorum, quæ, manifesto jactata etiam *inventionem*, atque comparationem, *suppositis* illis *causis* & effectibus opposita atque *destinata* audiuntur, & manifesto, jam fictis illis *salinis* potentiis *materiarum*, secundum reli-  
quas

quas veriores experientias chymicas, ex ista hypothese quadrare putantur: jam vitiosis illis motibus, à materiis illarum malitia deductis, leniendis aut plane cohibendis, adaptantur. Ubi affatim dilucescit, quod, & in hypothese subsit Error, ut certe est, & vel ab istis tandem agnoscitur: tanto magis in intentionibus, atque inventionibus, erroneæ illi hypothese superstructis, necessario subsit & propagetur Error.

Ubi licuerit ulteriorem errorem, plane Clinicum, qui ab isto dependet, brevissimis attingere. E persuasione allegatâ, dicere solent, tam patientes, quam Medici huiusmodi rebus indulgentes: *Si modo patiens restituitur, non est quod sollicitus sim, hoc ne an alio modo effectum suum præstiterit remedium & methodus. Sed ingens est postulatum, si restitatur.* Quid vero si etiam restitatur, non solum nulla efficacia illius medicamenti, sed vincente tam medicamento quam morbum simul Natura, & quidem per illas medicamento & Medico tam odiosas & contrarias, commotiones secretorias & excretorias: *etiamne ibi Medico debetur premium?* sed manum de tabula.

Error subinde committitur, quamlibet non ita plane stupidus, quando sub generalioris *Cacoehymie Scorbucicæ* nomine comprehenditur, inquinatio corporum à speciali, saltem non adeo copiosa aut crassa, corruptela *venerea*. Ubi jam doloribus *arthritoides*, jam *pruriginibus*, *ardoribus*, *rosivis* sensationibus, jam *maculis*, jam vel levibus *pustulis*, jam *hemicranicis* doloribus, jam *uvule & faucium* mitioribus, sed pertinacioribus, aut subinde repullulantibus, incommodis, vera mali indoles ita obnubilatur & larvatur, ut nisi providè & prudenter animus advertatur, non facile genius rei verus ab erronea acceptione liberetur. Quod tamen nisi fiat, non solum aliis *antiscorbucicis* nihil consulitur ægro, sed subinde, imprimis per *acriora illa volatilia antiscorbucica*, magis exasperantur pathemata.

Est vero ab hoc imprimis fundamento pendens, illa recentiorum practitorum observatio, ut *scorbucicis* quidem ligna & Radices *anti venereas* (de Mercurio enim dispar est ratio in

vero scorbuto) subinde satis evidenter conducere deprehendant; non æque vero *vicissim Cochleariam, Nasturtia, Armoraciam, Trifolium fibrinum &c. lvi venerea* vel pari aliquo sensibili commodo, vel solum sine sensibilibus subinde incommodis, adhiberi experiantur.

Ceterum multa corporis incommoda, hinc inde etiam *expulsiones ulcerosas, imprimis subtiles, acres, serpiginosas, erisypelatodesi, ardoribus expositas, contingere, æque atque furunculos & apostemata* spontanea, quæ vulgo universalioris Caco-chymix producta credantur, cum non nisi ententium *excretionum*, & imprimis *sanguinearum* effectus sint, vel immediati magis, vel mediati, & reliquæ, certo certius est: & committuntur proinde Erores, contraria de his rebus opinione, æque atque *curatione*, non rari, neque vero exigui. Sed non placet in Errores ejusmodi altioris indaginis latius diffundi, cum vix extantiorum præcipuos prosequi liceat, sine prolixitate, ab instituto, non tam tractatum, sed disputationem, conscribendi, nimium abeunte.

CAP. VI.

DE

ERRORIBUS THERAPEUTICIS GENERALIORIBUS.

**U**Ti vulgo in arithmetis notum est, quod Error circa primos ac veluti fundamentales numeros commissus, in quibuslibet illorum progressibus, non solum non corrigatur, sed latius latiusque expandatur atque diffundatur; ita rationi certe pariter consonum est, quod Errores circa *Pathologiam*, & imprimis quidem in ordine *ad Praxin*, commissi, non possint, quin ipsi deinde *Praxi* præjudicia afferant, & perversis considerationibus ac opinionibus male fundatas subsumptiones atque conclusiones post hac super-

per-

perfruant. Sunt certe summa genera medicationis, *Alteratio* nuda & absoluta, & *Evacuatio*. Ad *Alterationem*, directè & immediatè, vix quicquam concurrere potest Natura; ad *Evacuationem* maturam atque ordinatam, tota tendit atque con- nititur. *Alteratio*, habet insignia illa incommoda, ut non solum communiter *laxius tempus* requirat, aut in hujus vicem, me- dicamenta *penetrantia* & *acriora* postulare videatur: sed etiam medicamentorum *quantitatem* largiorem supponere videatur, & vix quidem unquam consistentiam etiam remediorum talem expectet, quæ undique *insensibilibus*, & sensus minus ferientibus, ut loquuntur, *qualitatibus*, imbuta sint, exceptis rarioribus *Specificis*.

Interim omnes huiusmodi circumstantiæ, involvunt, communissime efficaciam illam, ut evidentem, ita tanto ma- gis consideratu dignam, ut longe *praesentius*, *citius* inquam & *fortius*, *Motuum alterationibus* quadrent, quam *materie crasi* im- mutandæ: Unde vix ullum datur remedium quoquo modo *al- terans*, manifestiore quadam ratione effectum suum perpe- trare idoneum, quin simul admodum evidenter, vel ordi- narie, vel ad minimum in paulo sensibiliore indole, conspi- cuas *motuum* alterationes una producat. Interim, quando tales *artificialiter* ita provocati *motus*, quod certe non raro contingit, vel ipsa *specie*, vel ad minimum *tempore*, dispares sunt ab illis, quos vel œconomia animalis in genere poscit atque servat; vel praesens materia, *promptius* fortassis *excer- nenda* quam *corrigenda*, postulat, non possunt talium rerum administrationes non erroneæ esse, & varios *Motuum vita- lium* ultiores *Errores* provocare.

Quid, quod si vel maxime motus illi, quos ejusmodi credita *alterantia* simul provocant, ab illis, quos Natura in- tendit, non ipsa *specie* alieni essent, fieri tamen vix potest, quin ratione *temporis*, justo *citatiores* ita provocentur; cum et- iam communissime fere verum illud sit, quod ejusmodi me- dica-

dicamento tribuenda *alteratio* longe tardius effectum suum assequatur, quam illa simul expectanda *motuum exstimulatio*.

Cum vero, tum ab antiquis, tum ipsis nostris recentioribus temporibus, per illum, alibi latius, sed vix unquam pro rei dignitate, notatum *Errorem fundamentalem de Crasi* potius, quam *Motu* humorum in corpore *vivo*, speculandi, ingens farrago tam *indicationum*, quam *medicationum*, quasi *proprie* & *directe alterationis* scopo dicata sit; & dictis hisce recentioribus temporibus imprimis, medicamenta fere *penetrantiora* quælibet, huic intentioni aptiora atque efficaciora reputentur: non potuit certe aliter fieri, quin ex ejusmodi *Errore*, varii erronei effectus circa *Motuum* perturbationes pullularent.

Evitandus itaque venit *Error* iste in *Praxi*, ne nimium tribuatur *alterantibus*, sed potius *alteratio*, semper *in ordine ad excretiones* instituaturs atque dirigatur; sive illæ quoque per *artem* procurandæ videantur, sive à *Naturæ* bonitate, vigore, atque constantia sperandæ: ubi quidem prior casu, prudenter pensitandum, an *alterationibus lenioribus* velut *alternando*, interponere aut subjungere *evacuationes*, convenientius videatur; an vero hæc inter se conjungere.

*Error* autem etiam in *evacuationibus artificialibus* suscipiendis, satis familiaris in *praxi* observatur, quando præpostere, *crassiores* *evacuationes*, aut fortiores temere provocantur, materia vel plane nulla præsentē, quæ tali excussioni idonea sit; vel ad minimum repentino tali motui excussorio nondum *preparata*, & obsequens. Licet enim contra prima & simplicissima principia mechanica sit, *movere* velle, *quod nondum mobile* sive ad motum dispositum sit; occurrunt tamen subinde in *praxi* hujusmodi *Errores*, ubi sine ullo præsidio aut subsidio præviarum *preparationum*, violentæ commotiones admodum intempestive suscipiantur.

Accedit huc erronea interpretatio aurei de reliquo *Aphorismi Sect. I. 22. cocta movenda, non cruda; neque in principiis, nisi*



*nisi turgeant: ut plurimum autem non turgent.* Ubi plane *præ-*  
*eticum* hoc postremum monitum, (quod *ut plurimum non turgeat*  
*materia*) totum nervum aphorismi quasi propria salutari clausu-  
la iterum obfignans, planè negligitur, & per temerarium erro-  
rem potius supponitur, quod *ut plurimum* turgeant.

Porro in hac ipsa materia, pro errore non exiguo ha-  
bendum reputamus, si indiscriminatim, violentiore, neque  
subinde affatim fundata in firmis indicationibus, *evacuandi*  
methodo, illud cum magno tumultu exturbandum suscipi-  
tur, quod vel immediate *tranquilliore* excretionis specie ex-  
onerari: vel ad minimum convenientibus *preparantibus* ad hu-  
jus indolis evacuationem facile disponi potuissent.

Est hujus rei luculentum specimen in *Vomitoriis*, tum  
in *Febribus*, tum citra illas, *temere* exhiberi hodie consue-  
tis. Cum tamen, nisi forte in *venenosis recens* assumptis,  
rari admodum sint casus, ubi non citra vehementiam illam,  
solis *digestivis, temperantibus, & absorbentibus* congruis, ita di-  
sponi possit & *materia & Natura*, ut sine ulteriore impetu  
aut angustiis, longe majore *tranquillitate*, vel per *spontaneum*  
lenem vomitum, vel *deorsum*, placida exoneratio fiat.

Error etiam plusquam familiaris est, commotionibus  
jam ab ipsa Natura susceptis, *stimulo* addito, graviter *exceden-*  
*di* occasionem subministrare: Aut in diversum jam tendi,  
per operosiores quasdam excretiones, non minus violentis  
aliis diversis insultare, adeoque diversis violentiis ægrum di-  
ripere. De reliquo vero huc sanè iterum pertinent, ineptiæ  
illæ jam supra notatæ, de accusatione temerè coortorum,  
*salium scorbuticorum*, quæ *efferas* ejusmodi turbas ex improvi-  
so concitaverint: cum potius *Medici errori* imputandum sit,  
quod in morbis, (& si vel secundum suam hypothesin, per  
illos *aculeos salium scorbuticorum*,) ad vegetas *commotiones spon-*  
*tè* respectantibus, *stimulos* temere addere non abstineat.

Errorum quos nimium quam fœcunda, & uberrimo zi-  
zaniæ proventu intricata, seges *sexcentorum illorum saporum*

E pepe-

peperit, non postremi sunt crassi illi, 1.) quod purgantia non agant nisi stimulatione intestinorum; 2.) ac proinde etiam *parum inter se differant*, nisi forte solo gradu gravioris aut mollioris irritationis. Cum non solum curiosius experimentum commonstret, quod purgantia etiam *Massæ sanguinis* immediate, *per venas* immissa, (unde per Cor & arterias ad varias partes, & tandem demum ad intestina, traduci possunt;) nihilominus hæc viscera, & quod notatu dignum, communiter etiam *simul ventriculum ad vomendum*, afficiant, & *saburræ humorum ad hæc loca simul congeri* efficiant: sed *feminis* usque antiquitus notum sit experimentum, quod non solum purgans *nutrici* propinatum, *infantem* simul afficiat; sed etiam hoc ita efficaciter agat, ut subinde infans solus & nimia quoque vehementia, nutrix nihil quicquam afficiatur.

Gravem profecto, interim hodie non rarum in praxi, Error, non possumus hic præterire, quando nempe sub *angustia, pressione* atq; *tensione* præcordiorum, cum *appetitu* oppressio, frequentiore *sputi* in os ascensione, imo *nausea* ipsa concursante, patiente verò notorie *flatibus* alias obnoxio, temere provocatur *Vomitus*, imprimis immodestius. In quæ gravia incommoda, *Flatibus* post hæc copiose atq; pertinaciter *sursum* directis, patientes multi tales post hæc conjiciantur; & cum hic affectus ferè familiarior sit subjectis, quæ ad sanguineas *hæmorrhoidales* seditiones propendent, illa ipsa, datis posthac *calidioribus carminativis*, longe gravioribus aliis pathematibus magis magisque exponantur, notare poterit, qui quem huc advertat, animum, habet, atque intellectum. Illud certissimum est, tot hujus rei subinde obvenire exempla, quæ deinde fatuorum illorum *Salium, ἀπὸ μηχανῆς* exorientium, colluviei, miserâ philosophiâ imputantur, quot harum rerum imperito persuaderi nunquam possint.

Reservat sibi D. D. PRÆSES, Deo sanitatem atque otium largiente, hanc quoque rem ab experientia & ratione aliquando dilucidius explicare,

Error autem non exiguus insuper est in Praxi, (super funda-

fundamentali illo Errore , neglecto negotio, etiam *sine proportionata materia* innumeris quotidianis exemplis *in solescentium Motuum*, affurgens) *flatulentias* has & similes, imprimis *Hypochondriaco-Hæmorrhoidalibus* intentionibus & pressoriis tentaminibus concurrantes, *irrita* illa, imò *adversa* Therapia tractandi, ut ex hypothese, quasi vel *materia tenax*, (juxta veteres *frigida pituitosa*) vel in genere *imbecillitas* intestinorum, sive plane juxta recentiores fabulas, *imbecillitas totius generis nervosæ* subesset, per *calida* remedia, *Elixiria*, *Oleis destillatis*, *Croco*, *Zedoaria*, *Galanga*, & aliis *aromatibus* luxuriantia, aut *nervina* ejusdem furfuris, *Salia Volatilia oleosa*, tractandi: additis tamen hinc inde, quia ista utique sola, spem destituunt, *soporiferis*. Quibus omnibus nempe irritis tentaminibus, *flatulentia* in univèrsum mederi, & illam penitus *auferre*, fert intentio; qua tamen re nihil facile magis *ἀπραντον* esse, ad experientiam provocat D. D. PRÆSES: cum tamen interim *adversis* illis remediis, & nihil solidi impetretur, & tum ratione *calide* ut vocant efficaciam, *crasis* & *commotio* humorum varie turbetur; tum per imperite & intemperanter ingesta *Narctica*, & plura alia incommoda & pericula, & ad minimum, promptissimo effectu, *pertinacia* magis magisque insuperabilis, malo huic hinc inducatur. Cum nulla sit certior methodus, *flatuum* insolentiam reprimendi, quam illos *ad inferiora* intestina deducere, ubi non solum propiores sint excretioni, sed etiam tam promptam atque facilem, efficaciam, in horum *firmiore textura* non inveniant: minimè metuendo, ne inde nascatur affectus ille, quem speculationes *flatibus in curvatura Coli*, (quæ solum *in picturis* adeo *angulosa* est, cum in corpore, situs intestini, *ab anteriore parte ad renem* & *Spinam dorsi*, *retrosum* progrediens, nullam penitus talem *resistentiam* hic indicet, sed potius in vera illa ad *acutum* angulum, etiam cum *angustatione* insigni facta, *Coli in rectum* mutatione, tali malo sedem præbere deberet:) loco *inflationum splenicarum* affingunt: cum, NB. *flatibus*, *familiariter* obno-

xii, ab hoc pathemate minimum incommodi experiantur; sed etiam à retentis flatibus confuetis, immensum quantum rariùs in hac regione, quàm in anteriore parte abdominis, imo in præcordiis (ita, ut ructibus molestia præsentaneè sublevetur) tantùm infestari soleant: de quarum rerum veritate, vix non quotidiana, sed circumspècta, experientia, abunde testatur, ad quam proinde meritò provocamus: Jam, quomodo hunc successum flatulentiaè magis ad inferiora quam superiora intestina deducant Practici, meminerint ipsi; aut petant his rebus consilium à speculatoribus: cavendo tamen ab ἀπρακτοῖς æque, atque πολυπραγμοσύνη nimia distractis: nobis hoc jam non incumbit.

Siccitatem etiam alvi, imprimis autem, maxime ab illa, distinguendam, veram adstrictionem, purgantibus, imprimis acrioribus tentare, Error est, in sensibilibus subjectis, aut affectibus (quod ferè in adstrictionibus contingit) etiam subinde malum successum parturiens. Lenioribus autem hujusmodi, purgantibus inquam, incommodis his justo sæpius succurrere velle, non multo minus erroneum; dum purgantibus familiariter adstrictio succedit; vel ad minimum causa siccitatis nullatenus sublata, malo nihil consulitur. Ubi certè tempus esset, peritiore speculatione discernendi, quantum intersit humores potius in tota massa ita disponere, ut ad intestina deturbandi, Scybala simul expediant; quam vel ipsi siccitatis præoccupatio- ni operari: vel veriore nuda magis irritatione, affluxum potius sincerorum serosorum humorum ad intestina invitare & assuefacere: imo vero singulis his rebus peritè in usum vocatis, incommodis illis efficaciter subvenire.

Neque vero facile committenda est Erroris hujus illa species, qua perpetuo abusu remediorum talium, tanta segnitie Naturæ tandem inducitur; ut nisi jugiter adhibitis ejusmodi subsidiis, sua sponte tandem plane nihil suscipiat. E quo errore, duo insignia incommoda pullulant; nimirum 1) sicubi consuetus usus aliquando diutius negligatur, mox ad gravissima Colica, imò Ileæda pathemata prolabantur ejusmodi  
homi-

homines: 2) cum communiter *largius* aut *pure*, *aloëtica* sint illa remedia, tanto magis inde disponantur ad *hæmorrhoidales* directiones, & his conspirantes *Splenetico - hypochondriacas*, imò *Melancholicas* angustias, aut *arthritico Ischiaticas* passiones. Quod quidem tantò magis certo & cito evenit, si *aloëticis* illis, *Crocus*, *Myrrha*, *Galbanum*, *Ammoniacum*, *aromatica* alia, *Centaurium* etiam &c. infuper incocta & intrita sint.

Ne nimium ad specialia excurramus, contra tituli, imo propositi nostri rationem; allegamus tantum illos Errores circa evacuationes *pharmaceuticas*, quibus vel plane, ubi *nulla materia*, aut ad minimum *nulla mobilis*, præsto est; aut *copiosa*, & imprimis, ut rectissime periti practici loquuntur, *longius*, nimirum è tota Massa humorum, arcessenda: illic, non solum aliquid, sed vel *nimum*; hic nihil, aut certe nihil quod *sufficiat*, tentatur aut suscipitur. Sicut etiam illa præpostera methodus, non raro in justum Errorum censum abit, quâ quod melius *simul & semel* educeretur, segni demum *successiva* lenitione aut laxatione tentatum, nec ullum operæ pretium facit, neque interim etiam impedit, quo minus universum malum vel altius inniduletur, vel ad minimum pertinacius persistat; *vires* interim patientis reliquæ, ad minimum magis atterantur, quam quoquo modo conserventur.

Error, licet admodum familiaris, tamen omnino etiam eximius, committi solet circa evacuationem *diaphoreticam*; dum illa partim *intempestivè*, partim nimio *impetu*, simul & semel, partim etiam sub *adversantium* potius, quam *adjuvantium* remediorum usu, præscribitur & administratur.

Nobilissima enim hæc via, æqualiter & universaliter, & moderatissimè infuper, *sensim* exonerandi corpus, à *subtilissimis balituofo-fermentescentibus* heterogeneitatibus, usurpatur, quidem etiam *spontè* Naturæ, & communiter quidem tunc temporis cum *Euphoria*, modo quantumcunque ordinatè atque moderatè, succedat. Quemadmodum autem sibi relicta, sed etiam sibi constans, Natura, ut alias excretiones, ita

hanc etiam, sponte, & sine fortuitis causis, & tempestivè, & placide, suscipit; ita, si vel ipsa per errorem, *ordinem* hunc suum temere pervertat, vel *artificiis* erroneis seducatur, non solum intercudit effectus, ne fiat quod fieri debebat: sed contingit sæpissimè, quod longe pejus est, ut intempestiva subsidia pro eliciendo sudore, insuper etiam perperam administrata, imo qualitate aliena, vel inepta, vel infesta, variis respectibus atque modis, *damnum* potius inferant, quam debitum, imo subinde *necessarium* salutarem effectum, uti decet, assequantur. Cavendum itaque est, inquam, tum à *nimia* atque effera, tum à *præcoci* intempestiva, sudoris provocatione: secus enim si fiat, Error committitur communiter, fonticus, aliquando etiam vix, aut difficillime, resarciendus.

Neque verò inter hujus generis Errores, alii cuiquam cedit ille, quando ejusmodi affectibus, qui quidem ad corporis *peripheriam* vergunt, sed vel *placide*, vel plane *tardè* & *seginibus* successibus hoc faciunt, tanquam in subsidium, *regimen diaphoreticum* destinatur. Nominabo tantum tria hujus generis specimina, *Variolas*, *Petechias* extrà *Pestem*, & *Scabiem*; è quibus priores *duo* affectus, ab ejusmodi intempestivis *commotionibus*, contrà ipsorum genium, communissime grave *damnum* incurrunt: *posterior*, *Scabies* nempe, nullum usum, facilius autem *damnum* inde reportat, si patientes mox à sudore, imprimis minus temperato, temerè sese refrigerant: inde enim immensum quantum facilius in retrocessionem scabiei prolabuntur, & à tali quidem causâ, eò magis periculosam; quemadmodum priores, in *nimiam* efflorescentiam, sed *instabilem*, & *retrocessioni* summoperè expositam, præsentissimè vergunt.

Non possum autem silentio hic præterire, crassum illum Errorem, quo gravissima *Iracundia* commotis, aut enormi *terrore* percussis, & inde malè habentibus, præscribuntur *sudationes*. A quibus, priore casu, in *Febres ardentes*, intempestivè *icterodes* aut *cholericodes*, *rheumaticos*, aut si res mitissimè cedat

Eri-

*Erysipelatodes* affectus, præcipites aguntur; supervenientibus familiarissimè, si *acuta febris* inde exarserit, *Phrenitide*, & *motibus convulsivis*: posteriore casu, incutitur inde sæpe numero magna illa *debilitatio*, *tremor*, *palpitatio*, in artubus, quod vulgus aliàs conqueritur, *der Schrecken sey ihn in die Glieder geschlagen*: si à gravissimi terroris impressionibus, quasi repullulantibus, nondum ad se reversus patiens, commotioni huic intemperanti *sudatoria* subjicitur, sæpè *Epilepticum* effectum fortitur: qualem aliquando etiam ab *ira* post quartum diem, provocato *sudore*, adstrictâ hucusque alvo, graviter exasperatum esse (cum etiam intra illud quatrimum, bis vel ter spontè atque lenius emicuisset) observavit D.D. Præses.

Quo crassior est modo notatus Error, eò tenuior quidem, sed non nimio minor, est alter circa sudoris negotium, quando in *Febribus continuis*, imprimis *compositis*, juste atque debitæ ventilationes *diaphoretica*, ad essentiam febris, quatenus *salutaris* esse debet, pertinens, debito suo tempore negliguntur. Cum autem fenescente maximo febris impetu, nihilo minus hanc excretionis speciem, Natura non temerè insuper habeat; imò forte neque facere hoc possit, sine *apostasios*, & *Rheumaticorum* successuum periculo: incipiunt inde patientes de reliquo quidem ad se redire, vel tolerare moderatum *cibum*, vel sensim etiam appetere, *sitim* superfluam amittere, imprimis autem facilè & multum *dormire*: sub *somno* verò, non autem vigilantibus, nisi præter modum tectis, non emicat solùm, sed erumpit, & affatim fluit *sudor*; ita ut vel intra duas horas, tota madida indusia, præ molesta inquietudine exuere necesse sit, quod vel tertia usque vice per unam noctem illis, repetita pari abundantia, contingit.

Ad hos *sudores* audias vulgò trepidari, & de *colliquativis* sudoribus sermonem esse; sicut etiam reverà minus convenientibus medicamentis, aut nimis frigido patientis regimine, aut aliis quibuscunque excretionem hanc magis directè impediendis methodis atque mediis, non solum in *lenta* suâ indole,

dole, qualis tunc reverà adhuc superest hæc febris, obfirmatur: aut in novas *exacerbationes*, quam recidivam vulgò vocant, relabitur: sed minima certè difficultate, imprimis per *adstringentia* medicamenta, in *hecticam* obfirmatur. Omnia verò hæc nonnisi Erroribus imputanda sunt, qui nec malè fundato horum sudorum metu, nec in perversa illorum *occupatione* aut quacunque tractatione, committendus erat: cum tandem convenienti, tempestive *roborationi* magis quam cohibitioni, non aliter quàm experimento vero cedat, cum plenâ patientis & solidâ euphoriâ,

Error, qui familiariter committitur ab *obstetricibus*, in tenerrimis, & à nutricibus, in reliquis parvulis, quando infantes mollioribus *plumaceis* lectis immersos, & præ nimio calore *sudantes*, præcipuè adhuc somnolentos, temerè atque stolidè inde diripiunt, & denudatos statim, frigori exponunt, attendentibus animadvertetur esse frequentissime *febrilium*, in infantibus temere exardescentium, *calorum* & symptomatum causa; ut subinde incassum de aliis sollicitus sit metus, cum præsertim hæc incommoda, communiter ipso *quarto* die si *regimen* prudenter ordinatur; cum revertenti *leni sudore*, iterum evanescant. Quamlibet autem hic Error Medicis directè non imputari debeat; est tamen illud certissimum, quod hic ipse etiam non parum in illos redundare possit, quando vel in familiis, quarum domesticam curam susceperunt, ab ipsis non præmonendo avertitur: vel orta inde mala confectaria, cuivis potius fictæ, quantumvis speciosæ, quam huic simplici veræ causæ imputatur.

Ex Erroribus qui circà *Urinæ* excretionem, & ipsam Urinam, in praxi medica occurrunt, præstet per apices potius notare, quam multiformi huic confusione demonstrandæ prolixius insistere. Primò jam etiam à longiore tempore designaverunt Practici, quod per *Urinam* evacuationes *salutares*, & fieri possint, & fieri soleant. Sane vero, licet excretionem illam Urinæ extraordinarias varias heterogeneitates vehementer

hen-



hentis, qualis in febris, maximè salubriter procedentibus, excernitur, magis ad *Semioticam*, quàm ad *Therapiam*, retulerint plerique omnium ævorum Medici; unde non æquè condignè æstimata est hujus etiam *ut excretionis*, efficacia; docere tamen facile potest omnium circumstantiarum, tam à priori, quam ab effectu, Sylloge, quod in febris hæc etiam *exoneratio* seu *evacuatio* insignem usum habeat; modo debite fiat, nempe ita, ut etiam justæ intimioris *secretionis* sufficiens progressus præcesserit: adeoque non solum urina excernatur, sed per ejus excretionem simul ex bona parte etiam gravioris incommodi, imo periculi fomes una auferatur. Unde quidem hoc ipso nomine Error est ἀπραντος, in ejusmodi casibus nullam hujus subsidii considerationem in animum penitus admittere, & ne quidem in his casibus credere, quod aliqua hujus rei ratio habenda veniat.

Ita etiam, vel quatenus *signi*, non contemnenda est, sed *tempestiva*, urinæ inspectio & consideratio. Quanquam enim, uti statim notandum erit, etiam quovis intuitu, fordidi Erroris & abusus circa hanc rem invaluerint; non tamen propterea prudens & verus hujus rei usus absolutè damnandus venit. Tanto magis, si Medicus patienti non quotidie præsens esse possit, impatientia etiam hujus, & adsistentium sive indulgentia, sive sollicitudo, merito Medico dubium aliquod moveat. Ita enim velut uno conspectu, quid colligere sit integrum, satis probabiliter deprehenderit. Unde *omnem Uroscopiam* ex *universa februm* Therapia atque prognosi, ut absolute inutilem, proscribere, etiam Error est.

Interim absit, ut prolixius immoremur, vel imperitis & superstitiosis illis Erroribus, quibus *omnium morborum* non solum, sed circumstantiarum etiam illorum, Historia ex urina conspici posse, credulorum hominum menti insedit: vel in fordidis illis, & omni bono viro merito abominandis, præstigiis & fraudibus sordidissimis, verba perdere, ubi non solum ad proæreticam vulgi hominum deceptionem, captiosæ tum quæstiones, tum subornationes instituuntur, ut illi tantum per-

F

svadea-

svadeatur insignis illa harum & omnium talium rerum peritia : sed etiam malitiose & nequiter, qui ejusmodi nefariis artibus indignantur, non nisi brocardico illo notantur : artem non habere osorem, nisi ignorantem. Malumus tamen hunc Errorem, è *Medicis* erroribus penitus eximere, cum Medicos nomine suo dignos his nequitiis animum submissuros esse, nolimus ominari. Sit interim, profecto non infrequens, Error vulgi decepti, circa Medicinam practicam, practicus utique, imo pragmaticus.

Placet unum adhuc Errorem circa Urinæ inspectionem annotare, quando in morbis Chronicis, qui multoties, serosa nempe vitia, per liberio rem Urinæ successum ventilant, & quadantenus exonerant; quando tandem [repentina aliqua, imprimis autem ab animi pathematibus, exacerbatione afficiuntur, *tenuem, paucam, parum alteratam*, urinam ostendunt, sæpe sane à sana quoque corporis constitutione, non admodum alienam; si ibi, de tali urina, inconsiderate cito pronunciare non dubitet Medicus, non potest fieri, quin subinde Errorem committat,

CAP. VII.

GENERALIA QUÆDAM DE  
ERRORIBUS CIRCA FEBRES.

**A**Ntiquum est effatum, quod quicquid non corrigitur in *prima digestionem*, non corrigatur in *secunda*, neque *tertia*. Arithmetici evidentius annotant progressus Erroris, & quomodo vires acquirat eundo; imprimis quando quadratus fit, aut profunditatem etiam adeptus, cubicus. De *Febribus* valet sane hæc applicatio. Si enim in his erratur in Pathologia, & *salutares* illarum *secretoriae* & *excretoriae* commotiones atque directiones, pro ipso morbo agnoscuntur, quid potest inde aliud pullulare, quam Error multiplex, non solum secundum varias febrium *species*, sed insuper, secundum varias singularum circumstantias. Nemo à nobis

nobis expectabit, ut diffusissimum hoc negotium penso nostro attexere in nos suscipiamus; æquos autem arbitros contentos fore confidimus, si, quod etiam prima nostra propositio innuit, *generalibus* solum insistamus. Error hoc intuitu est, *excretiones* febriles, pro ipso *morbo* suppositas, non solum, secundum *justa sua tempora*, instituta, & emunctoria, non intelligere; sed loco debitæ *promotionis*, sive negligere, sive penitus oppugnare. Error est, agnitos ex parte hujusmodi *secretorios & excretorios* apparatus, tamen nullo *ordine*, & nulla debita omnium conspirantium circumstantiarum *comprehensione*, intempestive aut proptere aggredi. Pullulant ex hoc, Errores, non solum circa *tempora indicatoria, critica*, imo *universas periodos*; sed pendent etiam inde Errores illi familiarissimi, circa *paroxysmorum* *justam observationem & administrationem*. Errores vero posteriores hinc ingruunt, ut, dum in *intermittente* aliqua febre, à *vomitu* melius habere visus sit *patiens*; vomitus ad omnes adhibeatur; dum *sudor* in variis, imo vero gravissimis, *pestilentibus*, ex usu esse apparuit; omnibus, nempe fortis, & ut loquuntur *cum regimine*, præscribatur: nullo imprimis ad *paroxysmos* & eorum *diversam* indo em, nedum ad summam totius genii ejus febris, sive scito sive perito respectu. Error est, febres temere *supprimere* ac obruere. In qua certe re, nescias quid de reliqua fide variorum statuendum sit, qui mirè felicem nedum undique in fontem successum omnium talium experimentorum, pro certissimo venditant; cum tamen tam è summis, quam in finis æque atque mediis locis, undique adversa commemorentur; illis autem in locis, ubi rebus hisce propius inspiciendis animum advertere integrum est, tanta sit *pestimè cedentium* exemplorum frequentia, ut paucissimorum, sine sensibili detrimento exeuntium, propemodum ipsa memoria aboleatur.

Cum ad finem properemus, suffecerit paucis indigitare Errorem illum, quando morbi, à *male tractatis febribus* subnati,

ti,

ti, non solum sine respectu ad Febres illas institutio, tractantur; sed vel plane iisdem remediis, quorum infausto usu introducti sunt, ulterius continuatis, adhuc gravius perturbantur aut obfirmantur.

Cœterum talibus remediis, quæ Febri rectè curanda velificantur, aut certè nullo modo contrariantur, tales etiam morbos curare, qui Febribus *successerunt*, & qualemcunque cum illis *conspirationem* adhuc habent, aggredi & curationem illorum prosequi, non solum justum, sed etiam subinde unicè necessarium est.

Sicut autem Errores, qui in febribus committuntur, imprimis quando ipsa indole sua, acuti sunt, ac anticipis eventus; tanto magis & præsentius nocent, & difficilius, imo facile plane non refarciuntur: ita tanto æquius est, omni modo præcavere, prævidere, atque providere, ne committantur.

Sed de his quidem valet imprimis illud, quod per initium diximus, quod nisi hujus rei, universæ inquam, *Februm Nature*, debita cognitio suppetat, omnes reliquæ *cautelæ*, quæ in recepta praxi hinc inde suppeditantur, nihil nisi lacera quædam fragmenta, & deficiente undique connexionem, Errorum multiplex materia atque fomes esse possint.

Putamus abunde esse quod egimus, in commonstrandis non levibus in quotidiana etiam praxi obviis, Erroribus; potuisset quidem longe major numerus confici & indicari, sed non placuit nimis profunde his rebus immisceri. Sane vero dubium est, an etiam his ipsis, quæ enumerare ausi sumus, parem gratiam reportaturi simus quam invidiam. Minime tamen etiam desperamus, quin futuri sint, qui jam dudum eadem nobiscum sentiunt. Ego tandem hac deductione nihil aucupor, quam speciminis loco exhibeo; nisi ut illa hoc nomine ad minimum valeat: tanto magis, cum ad minimum materiis non destituitur, quarum ulteriori ventilationi tanto plus loci esse possit, adeoque occasio mihi etiam superfit, explicatione atque defensione mearum assertionum, officio speciminis Inauguralis satisfaciendi.

DEUM autem Ter optimum Maximum supplex invoco, velit mihi aliisque, perpetua paterna sua benedictione, ex omnibus in Praxi medica, circa pretiosissimam sanitatem atque vitam hominum occupata, Erroribus, emergendi atque evadendi, verissimus atque certissimus Dux & author esse: imo universam denique salutarem hanc artem à perniciosiss Erroribus benignissime vindicare,

S. D. G.